

ampliores. Insuper attendentes fidelitatem ciuium praedictae ciuitatis Sibenicensis, villas Rachitnica, Dazlina et Grabrouci, citra fluuium Karka, ex parte occidentali existentes, item villam Neuest, Coparno, Peremich et Sitnicza, locatas ex alia parte eiusdem fluminis habitas, eidem communitati ciuitatis Sibenicensis, addendo ad districtum eiusdem, dedimus et conferrimus in perpetuum possidendas. In cuius rei memoriam praesentes concessimus litteras pendenti sigillo nostro munitas. Datum in obsidione ciuitatis Nonae die XIV. mensis Decembris. Anno Domini M.CCC.LVII.

*(Hocce Privilegium Ludovicus Rex die XVIII. Kal. Jan. anno M.CCCLVIII, regni autem anno XVI., confirmavit.)*

Lucius de Regno Dalm. & Croatiae. Lib. IV. cap. XVII.

## XCVI.

*Anno 1358. die 18. Februarii.*

**Tabulae pacis inter Ludovicum I. Regem ac Ducatum Venetum initae, qua tota Dalmatia revindicitur.**

Ludovicus, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Bulgariae, Cumaniaeque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris montis Sancti Angeli Dominus. Vniuersis Christi fidelibus praesentes nostras litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Rex pacificus pro Redemptione generis humani de supremis caelorum ad yma mundi descendens, et tandem mortem subiens temporalem, Dominus noster Jesus Christus post gloriosam resurrectionem suam Ascensionis ad Patrem, pacem, quae charitatis est uinculum, in suo natali glorioso coelestium agminum multitudine nuntiatam suis praebuit fidelibus, et reliquit pacis instruens amatores, ut relegato odio fraternae inuidiae, amor regnaret, et quod novercha discordia seiunxisset, mater concordia pacis amica solidaret. Proinde ad vniuersorum notitiam praesentium litterarum serie uolumus peruenire. Quod cum inter quosdam praedecessores nostros Illustres Reges Hungariae, et nos demum ex vna parte, ac inclitos Duces, et commune Venetiarum ex altera, procurante hoste, antiquo humani generis inimico, multae discordiae et rixae, contentiones, derobationes, oppressiones, offensiones, strages et damna orta fuissent, temporibus retroactis occasione Regni Dalmatiae, quam iidem Duces, et commune ab olim tenuerunt et tenebant. Tandem Inclitus dominus Joannes Delphino Venetiarum Dux, et tota communitas ciuitatis antedictae, postquam plures Ambascatas factas hinc et inde, et honorabiles viros, Petrum Triuisanum et Joannem Gradonico, ac Beneintendi, Ducatus Venetiarum Cancellarium, ciues ciuitatis